



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De laude Dei in paupertate deuotionis. II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

CAPVT II.

De laude Dei in paupertate deuotionis.

1. **P** *Pauper & inops laudabunt nomen tuum Domine.* Quando sentis Psal. 47.
te aridum, frigidum, & tristem in orando, & meditando bona de Deo, non debes propterea desperare, nec desistere Iesum humiliter inuocare; sed in paupertate spiritus tui Deum lauda & gratias age, & istum versiculum pro consolatione libenter lege: *Pauper & inops laudabunt nomen tuum Domine.* Multi enim sancti & deuoti fuerunt etiam quandoque aridi, & per longum tempus à Deo derelicti: vt discerent patientiam & alijs compati, per doloris & inopix experientiam; & non presumerent nimis de seipsis, in tempore deuotionis & iubilationis. Lege etiam versum istum sequentem, cum Propheta in psalmo: *Ego autem mendicus sum & pauper, & Dominus sollicitus est mei.* In Domino confido, quia ipse virtus & salus mea. Verum est, nam omne bonum à Deo. Psal. 69.

2. Noli ergo presumere cum lætus fueris, nec te deicere tristitia grauatus; sed sicut Domino placuerit in oculis suis, sic esto contentus in omnibus. Nil enim boni habes à teipso, sed totum est à Deo. Cum gratia deuotionis datur, sol de cælo lucet, & anima illuminatur, & quasi in diuitijs exultat. Sed miser deciperis, si presumis & inflaris. Cum verò occultè subtrahitur gratia, & ab ingrato tollitur; tunc verè pauper es & infirmus, & parum potes sustinere, & trædet orare. Sed hoc pro beneficio accipe, quòd Deus te pauperem facit & humiliat cum electis suis; & percutit dorsum tuum filiorum virga, pro excessibus tuis occultis & negligentijs multis quotidianis; vt tibi ipsi vilescas, & nunquam alte de te sapias, sicut cõsultat sanctus Paulus ad Romanos: *Noli, inquit, altum sapere, sed time.* Magnum lucrum animæ, de se viliter sentire, & Deo omne bonum funditus ascribere. Rom. 12.

CAPVT III.

De probatione deuotorum per contraria.

1. **G** *Audete iusti in Domino.* In cælo semper est gaudium, in inferno semper est luctus, in mundo vtrumque ad tempus, ad probandum homines bonos & malos. In æstate sunt dies clariiores, & in hyeme obscuriores; sic est etiam cum anima deuota. Quando gratia Dei venit, & eam illuminat; tunc multa abscondita cognoscit & intelligit, cõtat & iubilat cū magna deuotione, quã sentit. Sed in tẽpore tẽtationis, cū subtrahitur gratia deuotionis; tunc est in hyeme & frigore, in obscuritate intellectus, & in pauore